



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

De circumstantijs in diuino officio obseruandis cap. 117 [i. e. 13].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

Ad nullam tamen restitutionem tenentur, si verè recitauerint etiam si id fecerint sine vlla attentione, & eadem est ratio aliorum redditu qui sumuntur ex communi aliqua massa quæ erat inter reliquos canonicos diuidenda.

*De Circūstantiis in Diuino Offi-  
cio obseruandis. Cap. 13.*

**C**ircūstantiæ in horis Canon. persoluendis sex sunt. Numerus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus & Modus, Clerici maioribus ordinibus insigniti, & Religiosi professi singulis diebus septem horis Canon. persoluere tenentur, ita vt si vnã integrã vel eius partem notabilem omitant, peccent mortaliter. Presbyteri iuxta Episcopatus sui ritum, & Monachi iuxta illud sui Ordinis recitare debent, alias peccant

mortaliter, si alienum sine causa rationabili sequatur. Qui recitant Breuiarium Romanum, nec ad preces Beatę Virginis, nec ad officium Defunctorum obligantur nisi in choro & in die defunctorum. Tempus cuiuslibet horę proprium est à media nocte, videlicet antecedentis diei, vsque ad aliam sequentis. Hora matutina potest persolui etiam post occasum antecedentis diei. Modus est vt attentè, reuertenter, & deuotè dicatur. Attentio Triplex: circa verba, vt nempe singula distinctè pronuntientur: & actualis, vel saltem virtualis est necessaria. Alia est circa verborum sensum. Tertia circa orandi finem. Dum missę quis interest deuotas vnà ibi preces recitare poterit, & etiam horas canonicas, cum ad eundem ordinentur finem, & præceptum audiendi Missam non cogat Missæ verbis intendere, sed tā

tum sacrificio interesse. Etsi ordo horarum non sit in præcepto extra chorum, illam tamen pervertere veniale est, atque idem est de tempore, nisi ex causa utriusque fiat.

*De causis excusantibus ab officio persolueno. Cap. 14.*

**S** Ex sunt causæ excusantes, Infirmetas grauis: qua durante nemo tenetur loco horarum aliud dicere. Occupatio alterius negotii magni ponderis, vt cōcio, vel lectio publica, vel infirmi cura. Breuiarii inculpabilis defectus. Papæ dispensatio. Beneficium tenuissimum non excedens redditum octo ducatorum, ex soto & aliis: probabilius tamen est etiam tunc teneri cum nullus Canon eū excuset. Defectus fructus beneficii, qui post adhibitam debitam diligentiam, nec per se, nec per alium percipi possunt, nec